Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 785
Quelle:
Copyright:

iohannem (IX.) *pontificem.* Incipit: *Antecessorum uestrorum decretis et catholicorum patrum institutis* &c. et legitur cum *Chron. cit.* p. 33. tum *Hansiz. T.* I. p. 176. sed utrobique prave scriptum *Maraci* pro *Maraui*, ut habet Noster. Pertinet ad an. 900. sub cujus finem *Johannes* obiit. In 4. subjectis versiculis miror, neque *Gewoldum* nec *Hansizium* vidisse σφαλμα:

Sisque tuis famulis protector verus et impos
Commendes Domino &c.

Repone cum Nostro, *et* ipsos *Commendes domino.* 8vo. *Epistolam Benedicti* (VII.) *pontificis ad Hrodbertum* (Ruotbertum, Rupertum) *mogontinę, diotricum treuerensis, adalbertum magdaburgensis, gereonem coloniensis, fridaricum iuuauensis adaldagum premensis ęcclesię archiepiscopos*, item *Ottonem* (II.) *Imp. et nepotem* ejus *heinricum ducem bauuariorum* &c. Initium: *Oportet iustis supplicantium peticionibus nos semper faciles* &c. Epistola ad an. 974. pertinet, et legitur in *Chron. cit.* p. 29. *Hansiz.* T. I. p. 213. 9no. *Epistolam Piligrimi sanctę lauriacensis ecclesie humilis seruitoris ad benedictum* (VII.) *pontificem.* Initium: *Notum fieri dignetur uobis summe sacerdotum presul* &c. Epistola ejusdem anni, legitur in *Chron. cit.* p. 24. *Hansiz.* T. I. p. 211.

Novem his *Epistolis* adhaerent *Chartae* IV. *Prima* hujus tenoris: *Cunctis christiana fidelitate degentibus notum sit presentibus atque futuris. quod comes Ratpoto pro remedio animę suę. coniugisque Mathildę tradidit pontifici Eigilberto* (Egilberto, Angelberto, Engelberto) *patauiensis ęcclesię prouisori. ęcclesiam quam in patrimonio suo construxit. Ernustisprunnin. cum dote. et familia atque decimatione. quin cum omni lege. Huius videlicet muneris donum pretitulatus presul rogauit tradere in manum piligrimi sui militis. eo tenore. ut sua comitisque presignati postulatione traderet quocumque* (quandocumque?) *peterent. His namque rebus ita completis. dedicauit ęcclesiam predictus pontifex. Ecce celebratione dedicationis completa. tradidit piligrimus manu potentatiua* (alias potestativa) *postulatione comitis et episcopi ęcclesiam prefatam ad sanctum stephanum perpetualiter seruituram. Huius rei testes sunt. Ratpoto. Purchart. Arnolt. Aribo. Ekkiribc. Gerbobc. Hartuuic. Arnolt.* Sedit *Engelbertus* hic ab an. 1045—65. *Ernstbrunn* inf. *Austriae* Oppidum hodie ad Comites *Sinzendorfios* pertinet. *Secunda* Charta confirmat Ecclesiae *Patauiensi Jus Decimationis intra Anesum* (Onasum) *fluvium et Comagenum* (Cetium) *Montem Piligrimo* Episcopo, atque adeo intra an. 971. et 991. Legitur illa, quod mirum, ad calcem supra recensiti *Epistolaris*